



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De ministerio Diaconorum, & aliorum ministrorum Ecclesi[a]e

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

subdolè, tamque indefinenter nos remorati fuissent, non solum nihil penitus habent Aduersarij, cuius ex autoritate S. scripturarum, & Canonum nos incusent: sed potius cuius se, suosque sectatores reos agant, quod Electori & Archiepiscopo suo, hoc est, supremo, tam in politicis, quam in Ecclesiasticis rebus, Inspectori, in diuino hoc maximèque necessario opere promouendo, non summa fide ac diligentia, pròque virili potestate auxilio sunt, & adiumento.

Verùm de reali ac salutari constitutione, administrationèque Ecclesiarum Christi nihil omninò curant: sed tantum de externà inani pompa, quæ consistat in amplis nominibus ac titulis, in ingenti ordinario numero ac discrimine, in multitudine Togatorum, splendidèque ornatorem cœlibum personarum, qui totum ministerium Ecclesiasticum cantationibus, & lectionibus non intellectis, paucisque concionibus, vna cum infinito præceptorum numero, quæ nemo obseruat, expediunt, totisque interim mundo dominantur, & ab omnibus Rabini, beneficique Domini salutantur: taceo horrendam impudicitiam & anaritiam, quæ vulgò & in maiori istorum hominum parte regnat.

De ministerio Diaconorum, & aliorum Ministrorum Ecclesie.

Quartum quod in Libro Reformationis hoc loco taxant, est, quòd ministerio Diaconorum & subdiaconorum, iuxta verbum Dei, & antiquos Canones, dispensationem eleemosynarum assignat. Multa hic verba profundunt de ministerio, quod debeant Episcopis in Christiana disciplina, & Cura animarum præstare.

Hoc loco multa verba faciunt, perinde ac si Liber hoc ministerium silentio præterisset, cum tamen id expressè posuerit. Ipsi verò in commemoratione eius, de quo Librum Reformationis accusant, calumniosè id pro more suo circumierunt.

Porò quod dispensationem sanguinis Christi ad Diaconos quoque pertinere aiunt, id quod Laurentij dictum ad Sixtum, quod Aduersarij introducunt, quis contradicit, præter illos ipsos, & eorum sectatores? In quo rursus animaduerte, homines istos omnibus veris ordinationibus Ecclesiasticis penitus & in omnibus rebus aduersari: & tamen audere eas passim tam perfricta fronte contra Librum, & omnes, qui iuxta eas viuere cupiunt, citare.

Id quod in eo satis manifestè declarant, quod ministerium sacræ eleemosynæ, non solum à Diaconis & subdiaconis, sed penitus ab omni eorum Clericatu remouerunt. Cum tamen hoc præcipuum opus sit, quod omnes ministri Ecclesiarum post curam animarum principaliter administrare debent.

De Monachatu.

Ee